

factum um perpetratum facinus cuius meminisse animus exhorrescit. Et hæc omnia minime annuentibus Christianissimis Regibus, sed dolentibus, & damnantibus constat accidisse. Nec tale quidquam poterit Indicis Conquistatoribus exprobari. Sed de his satis.

Circa Caput. VII.

Ubi de Digniorum electione, ad Ecclesiastica præsertim Beneficia.

27 Diana Parte 8. Tract. 7. Resol. 38. circa Principes habentes liberam provisionem, ut sunt Pontifices, Reges, & alij supremi, communem sententiã affirmatiuam proponit, & eidem subscribentem Cardinalem Lugo. Pro qua & stat Magister Lezana Tomo 1. Cap. 15. num. 12. & Tomo 2. Cap. 13. n. 13. Negatiuam item ut probabilem ex Trullench, & P. Reginaldo, quam & Machadus communiorem, & magis receptam potestatur, & sic concludit. Sed, ut verum fatear, non videtur recedendum à sententia Cardinalis Lugo, quia ferè semper digniores in promptu haberi & cognosci possunt. Hæc ille. Si ergo non habeatur in promptu, omnes videntur circa electionem digni, ut scilicet sit illa licita, & sine scrupulo faciendã, conuenire. Quod pro Indiis militare constat, dum ad Officia, & Beneficia in ipsis, qui non sunt cogniti alias, eliguntur. Erabitur ergo sapius. Fateor, & vtiã inter dignos & digniores tantum error nec se ad indignos extēdat, quod in primariis dignitatibus perdolendum. Orandus ergo Dominus meilis ab eo, qui recta diuinæ gloriæ intentione perducitur, ut electiones dirigat, sicque mittat Operarios in messem suam: non enim recta intentioni deest, quidat & velle & perficere pro bona voluntate. Philp. 2. P. Tamburinus in Decalogum Libro 8. Tractatu 3. Cap. 4. §. 4. negatiuæ sententiæ adhaeret in Beneficiis omnibus simplicibus, & conferentibus aut suffraganeis quibuscumque extra concursum. Quod & de officiis secularibus affirmat num. 15.

Circa Caput idem.

Ubi de Diœcesanis. An scilicet in Beneficiorum provisione sint aliis necessariò præferendi.

28 Communis Doctorum sententia est Diœcesanos esse in Beneficiorum provisionibus præferendos, quod & Canonici iuris auctoritate fulcitur: licet multi Textus, qui ex Decreto adducuntur, de Episcopis tantum procedant, ut videri potest Distinct. 61. & 63. in quarum priorè ratio illa inculcata ex Cap. Nullus occurrit: Habeat unusquisque sue fructum militia in Ecclesia in qua suam per omnia officia transgessit etatem: in aliena impendia minime alter obrepas, nec alij debitam alter sibi vendicare audeat mercedem. Hæc ibi. Et inculcata quidem illa respectu omnium Beneficiorum; quia respectu omnium locum habere videtur. Sed cum odiosa

dispositio videri possit, dum per eam eligentium potestas coarctatur, ad alia non extendendam erunt qui censeant, sicut non desint qui ob maioritatem rationis extendendam arbitrentur. Magis enim conueniens & necessarium apparet ut futurus Parochus ex Diœcesanis sit, acturus cura illis de proximo, & curam immediatã habiturus.

29 Sed certè ratio illa non prorsus vrget, quia in Textu minime habet fundamentum, in quo de præmio tantum agitur, quod iis debetur, qui per omnia officia Ecclesiæ seruiuerunt; unde par est ad eum promoueri gradum, qui est summus in eo genere: id quod non ita in Beneficiis aliis est cernere, in quibus pro extraneo eligendo speciales esse conuenientia possunt, & prærogatiuæ tales in illo, quibus diœcesanatis qualitas abunde suppleatur. Quod & in Episcopis suo etiam modo locum habere potest iuxta iuris dispositionem: potest enim extraneus postulari, pro quo Textus plures adducit Glossa in citato Cap. Nullus. Postulationem autem ab electione distingui habetur expresse in Cap. Osus citata Distinct. 61. in qua pro generali provisione, ad omnia scilicet Beneficia necessariò extendenda, magis vrget Cap. Episcopus in quo sic habetur: Item, Clerici alterius Ecclesiæ non sunt præferendi in electione ijs, qui bene militauerunt in propria Ecclesia. Sic ibi. Et Cap. Nec emeritis, in quo ex Coelestino Pontifice sic decernitur: Nec emeritis in suis Ecclesiis peregrini, & extranei, & qui ante ignoti sunt, ad electionem eorum, qui bene ciuium suorum merentur testimonium, præponantur.

30 Sic D. Pontifex. Sed quidem cum posterius hoc Caput immediatum alteri sit, & eius maior explicatio, ex eo argui non leuiter potest, ut extradiœcesani licita & conueniens esse electio possit: quia tunc tantum ille prædicti Capituli dispositione repellitur, cum ante ignotus est. Si ergo ab Episcopo probè notus aut Patrono satis perspectus, ut accidere non rarò potest, & per examen insuper idoneus deprehensus, eligi conuenienter poterit, & Diœcesano concurrenti præferri, si sint impares alias qualitates. Cum supponamus talem cum bonâ sui Episcopi licentiã ad concursum pro Parochiali Beneficio necessariò præcedentem deuenire. Quod cum accidit, non esse tales pro peregrinis & extraneis habendos non deerunt qui sentiant, licet communis sententia in contrarium sit, ut videri potest apud Gregorium Lopez. L. 13. Th. 15. Part. 1. in Glossa Lit. Pro illis enim stat Caput finale, de Clericis peregrinis, ubi ex dispensatione Clericos peregrinos institui posse disponitur. Verba illius sunt: Te nobis proponente didicimus, quod quidam Prælati Ecclesiarum tua iurisdictionis, in Ecclesiis sibi commissis sine scientia tua Clericos de alienis Episcopis instituire non verentur: Attendentes igitur id eis nulla ratione licere, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum: Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod tibi licet eos exinde remouere, nisi aliquos ex dispensatione in eisdem Ecclesiis duxeris dimittendos. Sic Honorius Tertius Episcopo Reginensi, ubi licet de iam institutis loquatur, idem est de instituendis cum suorum Episcoporum licentiã venientibus dicendum, ut affirmat Glossa, & est in illis maior ratio quàm in aliis, ut videtur manifestum.

31 Et in citata quidem Lege 13. Beneficia Diœcesanis esse conferenda decernitur, sic enim in ea Alfonso Rex: Deben primeramente presentarse de los hijos de la Iglesia, si los vbiere à tales que sean para ello; si no de los otros que sean de aquel Obispado. Sic ille. Sed cum verba, quibus vitur, scilicet, Si los vbiere à tales, que sean para ello, ita interpretari possunt, ut non qualibet capacitas sufficiens iudicari debeat, si aliunde haberi magis idonei queant; locus relinquatur arbitrio, licet filiationis qualitas semper sit in cõsideratione versanda. Unde Hispania ad concursum pro Beneficiis etiam Curatis, quæ Patrimonialia non sunt, extradiœcesani admittuntur: id quod in simplicibus frequentissimum, cum ad Canonicatus, qui per concursum obtinendi sunt, Edicta proponuntur. Et de Curatis in ipsa Regia Curia frequentia exempla succurrunt. Alias Beneficia omnia Patrimonialia essent, aut fere omnia essent talia, cum solis possint Parochianis tribui, qui ordinariè sunt in eisdem locis nati. Et leges Regni ferè in iungentibus ut Patrimonialia non nisi naturalibus præbeantur, hoc satis videntur innuere, exceptio enim aperta est, ut ea in contrarium regula non obscure firmari videatur.

32 Ea ergo regula, quam pro praxi proponit Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 19. n. 15. ex bonis Auctorum desumptam, videtur opportuna, dum ita scribit: Semper tamen hi, ad quorum curam spectat eorum provisio, presentatio, & collatio, debent multum attendere, ut ceteris paribus; immò datã aliquã meritorum disparitate, dummodo idoneitas requisita non desit, hi extraneis & peregrinis præferantur. Hæc ille, apud quem plures. Vbi obseruandum Primò non asserere illum singularem eam meritorum disparitatem non debere obstare prælationi Diœcesani, sed aliquam, seu aliqualem. Quando ergo notabilis est, aliter iudicio ipsius & aliorum, quos citat, est faciendum. Secundo, non quamlibet idoneitatem sufficere, sed requisitam: quod est iuxta ea, quæ circa Legis intelligentiam dicebamus. Tertio, de extraneis & peregrinis tantum pronuntiare, quales non sunt prorsus habendi, qui de licentia Ordinariorum suorum veniunt, iuxta aliquorum sententiam: vel si habendi ut tales, cum eis posse dispensari, iuxta citatum Caput finale. Supponitur enim cum Commendatariis litteris aduenisse, & sic non esse prorsus ignotum, iuxta præcedentia Capitula eiusdem Tituli. Et hoc vltimum videtur plane conuincere, ut licet demum extraneos non esse præferendos, id debeat intelligi regulariter, quod non tollit quin possit aliquando dispensari.

33 Neque his obstat, quod ex Glossa in Cap. 1. Distinct. 23. adducit dudum citatus Scripator num. 20. sic enim habet illa: Habes hic quod semper de Clericis ipsius Ecclesiæ eligendus est Prælatas, si ibi est idoneus: & tunc sufficit quod sit bonus. Sed si de altera Ecclesia eligitur, requiritur quod sit optimus. Sic Glossa. Ex quâ videtur deduci non esse attendendum excessum in extraneo, nisi talis sit, ut nullus maior esse possit: hoc enim significatur cum dicitur, Quod sit optimus: optimo enim nullus maior aut melior esse potest. Non inquam obstat Glossæ verba non sunt ex integro apposita, quod quidem frequenter in Thesauri Indici, Tom. 1.

Iuris peritis deprehendimus; ut non debeat eorum citationibus indiscriminatim fides adhiberi: sic enim post præfata subdit: Ut dicunt quidam. Non ergo iuxta propriam locuta est mentem, sed aliorum & certè non plurium, ut modus ipse loquendi satis videtur indicare. Quod autem ipsa sentiat statim expressit, sic dicens: Si maior pars Capituli eligat de alia Ecclesia, valet electio. Extra de Electione. Cum nobis olim. Et Cap. Cum inter Canonicos. Et Cap. In causis licet Ioannes dixerit contra. Et sufficit etiam tunc, quod sit bonus, ut in prædicto Decretali, Cum nobis. Hæc illa. Iuxta quæ satis apparet, quàm sit parum roboris in ipsa pro assertionem prædicta: & similiter quàm immeritò Dom. Solorzanus eam appellet notabilem: quæ si notabilis dicenda est, id certè contrariæ positionis respectu continget. Et verò Textus illius Capituli, super quem cadit, excessum illum non importat, cum sic habeat: Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus: vel si de ipsa non inuenitur, ex alia sumatur. Vbi quidem de electione Summi Pontificis sermo est: quod si ad Episcopos ex rationis identitate trahendum, constat iam usu receptum ut ex Ecclesiæ gremio, cui præficiendi sunt, non debeant necessariò eligi: immò de tali vix cõsideratio habetur qualitate; estque in eo sua conuenientia: non enim qui socij in Ecclesiæ gremio fuerunt, libenter accipiuntur in Principes, neque eis solet cultus debitus exhiberi. Quod iam olim in somno Ioseph graphicè, & ad posterorum exemplum adumbratum, dum in iudicæ & odij fomitem ministravit. Genes. 37. v. 8.

34 Iam quod ad Paroecias Indorum spectat, minus difficultatis habet; qui enim magis idoneus, omnibus perpensis, non ita idoneo, Diœcesano licet, potest anteponi. Indorum enim salus per ministros maxime idoneos est accuranda; sic enim Alexander VI. Catholicis Regibus in donatione Indiarum, grauissimis verbis iniunxit, ut dictum Cap. 3. Quod quidem ad stabilendam fidem valde necessarium est: unde si procul, & de vltimis finibus accerfiri Operarij possent, qui negotium istud melius promouerent, id esset laudabiliter faciendum. Sic cum Audissent Apostoli, qui erant Ierolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Act. 8. v. 14. Habebant equidem Samaritæ egregium diuini verbi ministrum Philippum, potentem opere & sermone, à quo & Simon Magus conuersus, qui videns signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. v. 13. Sed quia rem Christianam melius stabilendam à Petro & Ioanne Apostoli existimauerunt, eos vrbane rogantes miserunt, & negotij tanti momentum proponentes. Ut diuinitus esset fructus, qui tunc primò ex agro Samaritano ostendebatur: quod sapiens dixit & ter venerandus Interpres. Quâ etiam de causa postulari, ut diximus, ex aliâ Ecclesiâ Prælati possunt, quia per eos res melius est Ecclesiastica promouenda & valde ad intentum confert Cap. Ad decorem de Institutionibus, in quo sic Innocentius Tertius: Quocirca mandamus quatenus motheatis eundem (Constantinopolitanum Patriarcham) ut viros litteratos, & alios idoneos, undecumque originem duxerim, in prædictis Ecclesiis, & maxime in Maiori, instituere non possinat. &c. Circa quod

Act. 8. v. 13. & 14.

P. Gaspar Sancius.



Glossa sic ait: Verum est quod locus non obstat, dummodo constet de bonitate personae. Et illud Cap. Afros, de incognitis loquitur. Sic illa. Et ad rem magis Ioannes Andreas in Glossa marginali rationem reddit, quia terra erat de nouo conuersa. Vnde non Veneti tantum, vt Patriarcha volebat, sed aliunde etiam debebant ministri stabilienſis conuersionis admitti.

35 Est autem valde notabilis circa hoc distinctio, qua vtitur Fr. Emmanuel Rodericus Tomo 1. q. regul. quast. 35. artic. 2. vbi ait quod si Rex in promissione procedit vt Delegatus Pontificis, iuxta concessionem Alexandri VI. & Pij V. non tenetur Diocesanos eligere, sed idoneos vendeliber conquisitos; secus si procedit vt Patronus, quia hic ad Diocesanos electionem obligatur. Pro quo adducit Cap. Decernimus. 16. quast. 7. & Cap. Hortamur 71. dist. & D. Antoninum 1. p. Tit. 12. Cap. 12. §. 4. in principio. Sed certe Cap. Decernimus nihil habet ad intentum, sed tantum vt fundatores Ecclesiarum idoneos praesentent rectores earum Episcopis, & horum ordinatio sine tali praesentatione irrita fit. Est autem illud Concilij Toletani 4. alijs 9. Ex Cap. vero Hortamur nostra potius positio roboratur, sic enim illud: Hortamur Christianitatem vestram iuxta sanctorum Canonum instituta, vt in Ecclesijs a vobis fundatis aliunde veniens Presbyter non suscipiatur, nisi a vestra fuerit Ecclesie consecratus Episcopo, aut ab eo per commendatitias litteras suscipiatur. Sic ibi. Et est illud D. Augustini in Sermone quodam ad populum. Cum ergo exceptionem addat venientis cum litteris commendatitijs, satis ex eo aperte deducitur id, quod antea dicebamus. Vnde & sic sunt sanctorum Canonum instituta accipienda. Iuxta formam ergo prouisionis, qua in vsu est, si Episcopus aliquem talem nominauerit, a Prorege, Praeside, aut Gubernatore praesentari sine scrupulo poterit, nisi in alijs qualitatibus minus habens inueniatur.

36 Non videtur autem distinctio praedicta, quoad praxim quidquam habere momenti, quia semper Rex in huiusmodi prouisionibus Beneficiorum vt Patronus procedit; neque enim se solo Beneficiarios constituere potest, stante praedicta delegatione, sed ab Episcopis debent illi Canonice institutionem accipere: credibile siquidem non est Pontifices omnimodam ad effectum adeo spirituales contulisse personae laicae facultatem, licet in gradu sublimissimo constituta. Vt Patronus ergo prouidet, licet illius Patronatus amplioribus priuilegijs gaudeat. Et ita nec tenetur solos proponere Diocesanos, sed condignos, vt in Cap. Decernimus citato dicitur, ex vltimis, si expedire visum, finibus aduocatos. Videatur Bossius Tomo 2. Titul. 7. numer. 41. vbi ex alijs, quos citat, affirmat, certum esse ex rigore iuris minime externos excludendos, neque vllum esse Textum id statuentem, sed tantum de honestate & congruentia, de quo num. 41.

### Circa Caput XII. in fine.

De obligatione Confessarij, quando Penitens ignorantia laborat, sed non culpabili.

37 **P**otesse contingere vt quis inculpate ignoret matrimonium esse inualidum cum aliquo impedimento contractum, cum tamen sciat fuisse in contractione peccatum. Tunc quidem si notitia nocitura creditur, in sua bona fide relinquendus. Quod bene obseruat P. Thomas Tamburinus Opusculo 1. Lib. 3. Cap. 4. num. 9. sufficit enim bonam fidem esse partialem. Vnde sciens peccatum esse furari; si tamen sibi persuadeat non esse obligatum ad restitutionem, similiter suo est in errore dimittendus, si de veritate edoctus nihil est tali notitia profuturus. Sicut & qui post votum castitatis Matrimonium contraxit, putans tamen eo contracto licere debiti petitionem, aut mortuum coniuge non amplius obligare. Et sic alia possumus exempla congeri. Leander Tomo 1. Tract. 5. Disputat. 11. Quast. 127. at seqq. Videndus etiam Diana Parte 7. Tract. 3. Resolut. 19. & Parte 10. Tract. 14. Resol. 20. in fine. Vbi Bordonum adducit circa impedimentum petitionis debiti, de quo regulariter non ingerenda notitia ob periculum, quod regulariter etiam occurrit committendi sacrilegij: quod & in huius generis impedimentis, quae scilicet dirimentia non sunt, pariter videtur asserendum; regulariter enim potest timeri periculum.

### Circa Caput. XIV.

De rerum indifferentium venditione, de quibus & Titulo 4. num. 45.

38 **A**git de illis P. Franciscus Bardi in Selectis Lib. 9. Quast. 13. num. 4. & seqq. post scripta visus, & qui videtur dignissimus: qui affirmat vt vendi indifferentia possint abusus, sufficere iacturam eorum futuram, quae non venduntur: haec enim censeferi debet rationabilis causa. Cuius quidem ratio difficile redditur, cum communis alia sententia sit pro bono spirituali alterius ita charitatem vrgere, vt vita ipsa debeat aliquando certo periculo exponi. Videtur ergo hoc in Dei benignam indolem referendum, qui cum sciat homines ad vitae sustentationem commercijs indigere, sic ea exerceri permittit, ac iusta reputat, vt illa cesset anxietas, quae ex contractantium praua potest intentione consurgere, dum quis nihil prauum intendit, sed quemque suae conscientiae relinquit, & remittit, solumque ipse utilitatem seruatis regulis iustitiae procurat. Quod quidem Theologi verosimili ratiocinatione deducunt, tum ex discursu facto, licet non ita expressus apud illos habeatur; tum quia in Scripturis nihil contrarium occurrit: tum denique, quia Ecclesia sciens sententias circa hoc minime scrupulosas grauium Scriptorum extare, nihil circa illas, quod damnare posset, inuenit: si enim inuenisset,

nisset, vtiq; & damnatione iam pridem inuolabili proscriptisset.

39 Non pugnat autem doctrina dicta cum communi sententia de obligatione se exponendi mortis periculo ob alterius salutem, quod & suas habet limitationes; quia id raro contingit, & ex eo opposito sequeretur certa damnatio: quod non ita accidit in casu, de quo agimus, vbi periculum proximum certa damnationis non est, cum possit modò peccans, de peccato postea poenitere, & potest praefata positio ex alia communiter recepta non leuiter roborari: nam propter defensionem vitae, honoris, & rei familiaris potest quis alium occidere, etiam si sciat in peccato moriturum, & sic damnandum; quia ipse, dum iniuste intadit, voluntarie se periculo exponit, & ita etiam vult in eo perire. Ergo & poterit quis etiam vendere rem indifferentem, ne res ipsi familiaris pereat, quod multò minus est. Licet enim ex omissione vnus aut alterius venditionis non videatur grauis sustinenda iactura; dum tamen quis circa obligationem istam ex generali ratione non cooperandi peccato alterius vrgetur, multoties debet ad venditionem cessare, aut frequentibus peccandi periculis obnoxius remanere. P. Bardi consonat in asserto P. Tamburinus in Decalogum Lib. 5. Cap. 1. §. 4. num. 33. & seqq. licet num. 36. pro vino maiorem rationem requirat. Sed vulgò excusari Caupones affirmat P. Gibalinus Tomo 1. Lib. 1. Cap. 9. num. 47. & alij apud Bossium Tomo 3. Titul. 21. numer. 331. Leander Tomo 2. Tractat. 9. Disput. 9. Quast. 19. Circa Cap. 11. vbi de Indorum seruitute, videri potest P. Verricelli nobiscum sentiens, & Bullas Pontificum explicans Tractatu de Missionibus Titulo 13. Sect. 7. n. 79. & Sect. 10.

### Circa Caput XVI.

De venditione officiorum.

40 **E**ste illam speculatiue licitam affirmat P. Bardi in Selectis Lib. 1. Quast. 19. Sed de facto illicitam & non nisi ex inuitabili necessitate practicandam: pro quo specialiter num. 6. & sic vendentem Principem obligari ad compensationem damnorum, de quo num. 19. Videtur ergo auctor iste inuitabilem necessitatem vt rarissime contingentem reputare; alias non bene diceretur de facto licitam esse posse venditionem. Et ego quidem id satis verosimile iudico, & iudicabunt etiam qui venditiones non pridem celebratas cognouerint: quidquid enim ex illis ad necessitatem occurrentium remedium est collectum, aliunde haberi commode potuit, cum reuera non ita copiosum sit, vt officiorum istorum architecti sunt polliciti: vnde passim distractas sunt, & fraudatum enormiter Fiscum verosimili conclamatur. P. Tamburinus in Decalogum Lib. 3. Tractat. 3. Cap. 7. §. 3. num. 3. & 4. absolute in domino officiorum omnium admittit venditionem.

### Circa Caput XVII.

De obligatione tributorum.

De quo & Titulo 5. num. 55. & sequentibus.

41 **E**X Nauarro, Caspensi, & alijs sequentia pronuntiata vt probabilia proponit Diana Parte 10. Tract. 15. Resolut. 46. scilicet non peccare mortaliter eos, qui merces vetitas traducunt ex vno regno in aliud, non soluto Regio vestigali. Item neque eos, qui in fluminibus vetitis piscantur: neque eos, qui contra prohibitionem in syluis ligna secant, vel pascunt oves in pratis, vel alia prohibita venantur, & similia quaedam: nam licet de iure naturali Principibus tributa debeantur; at dicta vestigalia fraudantes non intendunt contrauenire legi naturali; sed cum tractetur de lege pure poenali, eorum arbitrio remittitur, an velint soluere tributa, vel fraudare; & sic se exponunt periculo luenda poenae, cum notabili Principis emolumento. Et idem dicendum est de ementibus praedictas gabellas, quibus imputandum est, si fraudentur, dum non inuigilant, quia sub hac conditione illas emunt; & quia quod cum vno amittunt, cum alio lucrantur; propter contrauentionis poenam. Sic illi.

42 Contra quos obijci potest, stante obligatione naturali soluendi tributa, non satisfacere eum, qui defraudat ex eo quod se periculo incurrendi poenam exponit; quia potest contingere vt semper a periculo liber euadat; sicque nihil vnquam soluat, & consequenter obligationi iuris naturalis minime satisfaciat: neque vllus videtur futurus Princeps, qui ea sit obligationis ratione contentus; sicut nullus, cui facienda est restitutio, contentus erit distinctio illo solutionis modo: vt scilicet si non ei soluitur, debitor periculum amplioris solutionis incurrat, ad quod euadendum debitoris potest industria praualere. Si autem constaret Principem eo esse obligationis modo contentum, staret eundem illorum sententia Doctorum: sed quae talis voluntatis coniectura? Dicent; quia poenam expressit, culpam tacuit. Sed contra; quia cum ipsi fateantur obligationem esse de iure naturali, dum Principes tributa constituunt, non est opus culpam exprimere, quae ex violatione naturalis iuris satis est manifesta. Vt ergo doctrina illa verosimilis sit, videtur dicendum obligationem non esse de iure naturali, fundari tamen in illo, & esse eidem valde conformem: sed Principum voluntati praesertim inniti, qui propterea, dum poenam tantum, & non culpam mentionem faciunt, ad illam solum videntur obligare.

AD